

Jacob Fabricius

Rector Academiae Rostochiensis, Jacobus Fabricius, Med. D. & professor ordinarius, ac Collegii Medici Decanus, Omnibus & Singulis Academiae Civibus, Adscensionis Dominicæ Solemnia, pie atque sobrie peragenda, diligenter & serio committit & commendat

Rostochi[i]: Pedanus, 1632

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734605919>

Druck Freier  Zugang



R U. Progr. 1632
1) Thomas Lindemann
2) Jacob Fulnicius
3. " "



Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734605919/phys_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734605919/phys_0002)

DFG

RECTOR
ACADEMIE ROSTOCHIENSIS,
JACOBUS
FABRICIUS, Med. D.
& professor ordinarius, ac Collegij
Medici Decanus,
Omnibus & Singulis
ACADEMIE CIVIBUS,
Adscensionis DOMINICÆ
Solemnia,
piè atque sobriè peragenda,
diligenter & seriò
committit & commendat.



ROSTOCHI
Typis JOACHIMI PEDANI Acad. Typ.
ANNO M. DC. XXXII.

RECTOR
Academiae Rostochiensis,
JACOBUS FABRICIUS
Medicinæ D. & Professor
ordinarius.



Um Carolus Magnus in fel-
sto Natalitiorum Christi, ordien-
tium annum 804. ad fastigium
Romani imperij sublimatus, à
Leone Pontifice max. hujus no-
minis tertio, Romæ in Basilicâ
D. Petri, publicè coronaretur, u-
nanimi totius Populi suffragio,
& innumerorum hominum altissimâ voce illi acclamatû
fuisse, istius seculi memorant Historici: *Carolo Augusto,*
à Deo coronato, *Magno & Pacifico, Imperatori Romanorum,*
vita & victoria. Quantò verò majori hodiè lætitiâ, quan-
tò clariore applausu, ex intimis nostrorum cordium pe-
netralibus, nos assurgemus Domino Dominantium, Re-
gi Regum, & Imperatori cœli & terræ, magno Deo &
Salvatori nostro, ingeminantes: *Christo Augusto, à Deo*
gloriâ & honore coronato, vita & vittoria, benedictio & pote-
stas infinitis seculis. Cantate Domino canticum no-
vum, quia mirabilia fecit: Jubilate Deo in voce exulta-
tionis. Adscendit Deus in jubilo, & Dominus in voce
tubæ:

tubæ: psallite Deo nostro, psallite Regi nostro, psallite:
Quib^o Propheticō Spiritu plenis verbis meritò auspica-
mur hunc diem, quo in cœlos adscendit Deus noster
Christus, Deus homo, Rex & triumphator noster; ac
postquā à passione & resurrectione suā, se ipsum multis
argumentis, per dies quadraginta, vivum ostenderat,
demum visibili suæ in terris conversationi felicem clau-
sulam imposuit. Adscendit autem non curru sublatus,
non alienis viribus nixus, sed suā ipsius potestate leni-
ter subductus, spectante circumfusā hominum frequen-
tiā, adstantibus discipulis, qui sublatis manibus, oculisq;
eò illum sunt prosecuti, donec nube inductus con-
teatúsq; levissimā, immensum hoc, quod cœlo terrāq;
intercipitur, spaciū prætervectus, ad dexteram Dei Pa-
tris omnipotentis consedit, ac æqualem honorem, glo-
riam & potentiam cum illo adeptus est.

Quid verò hic potissimum admirabimur, sum-
mamne Christi gloriam acerbissimo funere & maximis
laboribus partam, an infinitam totius Universitatis læ-
titiam, vel omnium nostrum communem felicitatem? Dubius
equidem hæreo, nec promptum est mihi, quid è
tantâ rerū copiâ feligam & commendem. Quis enim un-
quam in animum inducere potuisse suum, tot & tanta
populi adversus Christū facta & dicta, fœdissima, impu-
rissima, indignissima, in sempiternas laudes; quis acerbis-
simum luctum in solidissimū gaudium; quis tot gemitus
& suspiria in optatissimam lætitiam conversum iri? quis
extremæ ignominiae summam gloriam, contumeliosissi-
mæ cruci nobilissimum triumphum, diem jucundissi-
mum funestissimæ nocti successorum putasset? Et tamen
illud credere licuisse hodierni diei declarat festivitas, &

omnib', quotquot unquā contigerunt, meritissimē pra-
ferenda victoria, quā innocentissimus & mitissimus Do-
minus noster Jesus Christus, non hostium internectione,
sed suā ipsius morte, non immerentium cæde, sed sui
corporis effuso sanguine, nō præsidio militum stipatus,
sed destitutus ab omnibus, non hostium expugnatione,
sed sui ipsius prorsus voluntariā deditione, de scelerum
omnium portentis, de gehennā & inferorū portis, Mor-
te, ipsoq; Diabolo reportavit. Vicit nimirum victus,
vivit extinctus, stat in terram prostratus, calliditatem
innocentiā, sacrilegium pietate, hostium potentiam,
turpisimā cruce contrivit: Proinde nova victoria no-
vam triumphi formam, nova triumphi forma, nova
quibus exp̄diretur, ornamenta requirebat. Non autem
auratis quadrigis, sellā curulī, aut quatuor albis equis:
invehitur, sed istorum omniam loco, luculenta duncta-
xat ei ex cœlo mittitur nubes, alatique mittuntur ven-
ti, quibus super omnes cœlos, ipsis excelsior factus, ve-
lut in summū Capitolium elevatur & adscendit. Jure igi-
tur optimo non tantum Angeli & cœlestes Spiritus, qui
eum in gravissimo imminentis mortis mœrore atq; tri-
sticiā consolabantur, nunc gaudent & exsultant, dum il-
lum, insigni honore circumfusum, cū Patre perpetuō re-
gnare, ac omnibus dominari creaturis, recto hilarique
vultu intuentur; verum in primis nos homines, quorum
hæc lætitia peculiaris est & propria. Lætabimur & ovabi-
mus. Nostri enim causā se det Christus ad dexteram
Dei, ut causam nostram adversus Diabolum, Draconem
magnum, serpentem antiquum, infernalem istum Fisa-
lem, ante Dei tribunal nos subindē diu noctuq; accusan-
tem, agat, asserat & defendat, proq; nobis sine intermis-
sione.

sicne interpellet, ut misericordiam & gratiam, ipsius benignitate & merito, cōsecuti, cū illo, illud æternitatis regnum, victores hodie ac triumphantes ingrediamur. Jubilem⁹ itaq; cum psalmistā, cantem⁹ & exsultemus: psallamus Domino in cytharā, in tubis ductilibus & voce Corneæ, jubilemus in conspectu Regis nostri, moveatur mare & plenitudo ejus, orbis terrarum, & qui habitant in eo.

Quemadmodum verò olim Imperatores, in publicâ suorum congratulatione, Populo stipē atq; epulum dabant, missilia spargebant, munera paſſim, ac vulgo impertiebantur: non aliter hodiernâ luce, novus hic noster Imperator, è cœlo, tantâ cum ubertate & largitate dona profundit, ut citius accipientium lassandæ manus, quam dantis defatiganda sit liberalitas: fluunt profecto ex alto egregia beneficia, fluunt & effunduntur hodie in nos ubertim varia charismata, ac dona ineffabilia, tam regenerationis, quam renovationis & sanctificacionis, divinâ benignitate dignissima; quæ, qualia sint & quanta, nō norunt, nisi illi, qui hoc inæstimabili Spiritus Sancti ministerio destituti, præ fame & siti genuinæ Religionis, à mari vagantur ad mare, querentes, uti Amos ait, verbum Domini & non invenientes. Inprimis autem & longè maximum beneficium esse autumo, quod Christus noster nobis, suâ in cœlum migratione, spē immortalitatis fecerit: Ejus siquidem adscensio, dicente Leone, nostra est provectio, ac quò præcessit gloria capitis, eò vocatur & spes corporis: Nos itaq; ad se omnes in æternæ requietis conclavia trahet, quò ipsem et exaltatibus omnibus concessit laboribus: id quod pollicitus est apud Joannē inquiens, cū exaltatus fuero, omnes trahā

ad me. Et quidni attraheret omnes, cum omnium nostrum
caput sit, nos vero membra corporis illius; ubi itaque; ca-
put, ibi & corpus erit. Si caput in cœlum adscendit, mem-
bra in infimis haut relinquuntur.

Quid porro cœli nomine intelligendum sit, & an-
certum finitumque; locum determinet, operosa disquisi-
tione opus non habet, sed quæ ~~in~~ ^{de} ~~speculatione~~ dicta, rectissime
~~interpretatio~~ explicatur, estque; tutius in simplicitate ad-
quiescere, quam curiosis quæstionibus propterea incum-
bere. Augustini monitum potius sequamur, qui animi
sui sententiâ super hac controversiâ, lib. de fide & symb.
explicatâ reliquit: Credimus Christum in cœlum adscen-
disse, quem beatitudinis locum etiam nobis promisit, sed
ubi ac quomodo in cœlo sit corpus dominicum, curio-
sissimum & supervacaneum est querere, tantummodo
in cœlo esse credendum est. Neque enim est fragilitatis
nostræ cœlorum se creta discutere, sed est nostræ fidei de
Dominici corporis dignitate & sublimia & honesta quæ-
que cogitare.


Cæterum neutquam siccо pede transeundū, quod
Christus ex eodem monte, in quo quadraginta ante di-
bus gravissimum sustinuerat agonem, in cœlos adscen-
derit, non aliâ de causâ, quam ut subactos hostes suos
ostenderet. Mons autem præcelsus, cui ab oleis & pal-
mis ibi copiosissime crescentibus, semperque; virentibus,
nomen Oliveti inditum, (quarum alteræ apud priscos vi-
ctoriæ, alteræ pacis ac tranquillitatis erant symbola.)
adumbravit, ja nunc illa imminere victoriæ, quâ univer-
sum hominum gen' ex hostium potestate, & tenebrico-
sissimi ergastulis atque vinculis liberandū, ac difficulti
ma-
sculè cōferto prælio, pax & gratia nobis restituenda esset;

Ejus.

Ejusdem ubertas atq; fertilitas Paradisi hortum , cuius
fores primorū parentū vicio nobis occlusæ erant , Chri-
sti sanguine iterum referatū innuebat : Deniq; illa vine-
torum, silvarumq; viriditas lætitiam perennantē præ se
ferebat , quā in tantā triumphantis Christi pompā , res
creatæ universæ , & præsertim homines mortales , quo-
rum causā illa pārtā erat victoria , gestiebant . Appella-
batur idem etiam Mons lucis , partim ob abundantiam
olei , lucis pabuli , ibidem copiose collecti , partim ob
situm , è regione templi versus orientem , altiorem , unde
& manè radijs solaribus , vesperi templi lucernis illumina-
nabatur , & continuā velut luce coruscabat : Ex hoc lucis
monte , ingruente jam tempore , quo in eā tranquillita-
tis sedem , è quā ad nostræ salutis procurationē in terrā
fuerat effusus , regredi necesse erat , elevatus est Christus ,
ut sese lucem veram doceret , suoque hinc abitu regnū
nobis inaccessæ lucis aperiret . Locus verò Adscensio-
nis in prædicto monte geminis , admodumq; insignibus
miraculis , in perpetuam rei memoriam , apprimè nobili-
tatus scribitur : Primo quidem , calcati à Deo pulveris
perenni documento , in vestigijs pedum supremo mon-
tis petroso vertici , usq; adeò firmiter , referente Sulpitio
Severo histor . sacr . lib . 2 . impressis , ut ea in istâ nobili
Hierosolymæ obsidione , quum Titus mœnibus exer-
citū & machinas admoveret , nec equorum unguis , nec
peditum attritū , nec tumultuario fabrorum opere , tur-
res ibi vallumque fagentium , aliquā ex parte potuerint
obliterari ; quæ & suo tempore ostensa fuisse com-
memorat Hieronymus , ac etiamnum hodiè cerni scribit .
Adrichomius in theatro terræ sanctæ : Deinde magni-
ficentissimè isto loco olim ab Helenâ , Imperatoris

Con-

Constantini Matre, rotundo schemate, ædificato templo, in cuius
medio, ultima pedū Domini, humo impressa, inclusa fuerunt ve-
stigia, quæ uti, Paullino Nolano Episcopo referēte, nullo marmore
tegi valuerunt, semper excussis, solo respuente, quæ manus ad-
ornandi studio tentavit apponere; ita & in superiori ejus cacumi-
ne patens mansit foramen, quod Hieronymo attestante, lib. de
loc. sanct. & homil. 9. in Levit. propter Dominicī corporis mea-
tum, nullo modo contegi aut concamerari potuit, transitu ejus
à terrā ad cœlum usque aperto manente. Quid verò est, cur tan-
tā cum constantiā, & quasi mordicus retineri vestigia illa jusserit
Deus, cur noluerit hoc templum in summo fastigiatum, sed o-
mnino patens atq; apertum, nisi quia voicerat à mortalibus intel-
ligi, adscensus sui memoriam sancte inviolatę q; à nobis conser-
vari oportere, & illum cœli tractum, quō permeavit ad gloriam
suam, perviū ac liberum esse nostrę cupiditati? Quin & ideo Deus
opt. maximus, quum alias animantes in ventrem fecisset pronas,
atq; ad pastum abjecisset, hominem erectum & celsum creavit, ut
ad cœli, hoc est sui domicilij conspectum incitaretur, non ut hu-
mili atq; ignobili jaceret loco, sed ut novis subinde incrementis
erigeretur ad summum, usq; adeò, ut honoris & dignitatis no-
strę cursus nō debuerit nisi in eā sede terminari, in quā ipse indè
ab æternitate cū sempiterno filio vivit & regnat: In ijs cœli spacijs,
in illo beatitudinis portu, in isto altissimi honoris apice, in illo
deniq; supremo immortalitatis, & inexplicabili divinæ Majes-
tatis domicilio, quō salutis nostræ fundator hodiè humani gene-
ris invexit mortalitatę, spes omnis, omne studium, nosterq; collo-
candus est animus, ut demum adscensionis hujus, atque victoriæ
nobis partæ fructu, in omnem seculorum omnium perennitatem,
cumulatissimè potiamur: idq; ut indubie nobis eveniat, idem il-
le Christus, Dominus noster, in cœlos elevatus, corda nostra vir-
tute suâ elevet, ut tanta mysteria, hodiè pro cōcione explicanda,
devotis auribus audiamus, & totius vitæ protelo, nostro usui piissimè applicemus. P. P. Rostochij sub Sigillo Magistratus Acade-
mici, ipso Adscensionis Dominicæ festo, anni Juliani, M. DC.
XXXII.





Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn734605919/phys_0011](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734605919/phys_0011)

DFG




Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn734605919/phys_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734605919/phys_0012)

DFG

Eonem ἄσκον θύλακον vocant, Sic
tentosæ bibacitatis homo à Vop
Lagena pendens dicitur. Et auc
se calicum hyrudines egregium
mum: Quæ gloria est, inquit, ca
cum omnes viceris virtute magi
tam vini capax fuerit, vinceris
thagoram scimus μενυψύχων
tuisse ita ut crediderit homin
bruta & vicissim brutorum in
migrare pro ut affinitatem &
iecti idoneitatem invenirent.
Pythagoras reviviseret null
porci animam in bacchantes n
grasse diceret: Nec vero aliud
losa involucra de Circæis poc
narum cantu volunt aut innu
ptatum illecebris incautos fas
minibus in spurcas bestias tra
nam naturalium rerum scripto
hominem lacerare affectante
vocem mittere; ut sævitiam h
gine abdat. Haud secus infer
vitorum dulcedine hominib
nec rictu suo immenso latissim
devoret.. Objicit sæpius mill



por-
cum
o de
nco-
rum
nemo
Py-
sta-
as in
rans-
sub-
nunc
quin
nsmi-
fabu.
Syre-
volu-
x ho-
Hyæ-
orant,
anam,
sima-
Draco,
ur, do-
sto eos
incau-
stis;